

## Band X., Nr. 4219, Seite 18-19

*Pfalzgraf Ludwig von Tübingen befreit das Dominikanerinnenkloster bei der Kreuzkirche in Horb von allen Leistungen und Abgaben.*

Horb, 1292. Februar 5.

Nos Lodewicus comes palatinus de Tüwingen omnibus presens scriptum intuentibus eorum notitiam que sequuntur. Cupientes deo omnium bonorum largitori pro beneficiis prestitis et prestandis devotionis nostre affectu quantum possumus occurrere et bonorum nos orationibus recommendatos fore dilectas nobis in Christo ac deo dignas religiosas sorores . . . priorissam et conventum in oppido nostro Horwe iuxta ecclesiam sancte crucis residentes sub regimine reverendorum . . . prioris et fratrum Predicatorum deo laudabiliter servientes domum nichilominus earundem et familiam ab omnibus stipendiorum seu steurarum vigiliarum censuum sive quorumcunque aliorum servitiorum de iure vel de consuetudine petendorum exactionibus penitus eximimus et liberas esse volumus ac omnimode libertati traditas exnunc et imperpetuum decernimus per presentes, presertim cum nostri prognitores predictis . . . priorisse et sororibus eandem contulerint libertatem. Supplicamus etiam omnibus nostris successoribus attentius per presentes, quatenus ob salutem anime nostre et ipsorum earundem . . . priorisse et conventus prehabitarum libertates sicut nos integras conservare studeant et illesas. Testes huius exemptionis et gratie sunt hii: dominus Hugo viceplebanus loci prefati, Dietricus scultetus, Eberhardus dictus Dürre, Cünradus dictus Bökeli, Cünradus filius suus, Berhtoldus iudex, Hainricus dictus Gebehart, Hermannus de Bûch<sup>1</sup>, Hugo dictus Laimeli, Volmarus dictus Rüteler, Waltherus de Talhain<sup>2</sup>, Wernherus dictus Zimberer, Alberhtus dictus Hevelwegge, Eberwinus et quam plures alii fide digni. Ut autem hec exemptio firma permaneat et illesa, ipsis . . . priorisse et sororibus sepedictis dedimus hanc cedula[m] sigilli nostri munimine roboratam.

Acta sunt hec in Horwe civitate predicta, anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo secundo, in festo beate Agathe martiris.

—

Textabdruck folgt dem Original.

An blauweiser leinener Litze das WUB, Bd. IX, S. 212, Nr. 3751 beschriebene Siegel.

<sup>1</sup>Heute Buchhöfe, Horb am Neckar, FDS.

<sup>2</sup>Ober- bzw. Untertalheim, Horb am Neckar, FDS.

## Überlieferung und Publikationen

**Lagerort:**

HStA Stuttgart

**Signatur/Titel des Originals:**

B 45 U 239 und U 243

**Überlieferung und Textkritik:**

Original und Vidimus von 1484 April 6.

## Weitere Angaben

**Sprache:**

Lateinisch

**Ausstellungsort:**

Horb

**Ortsindex:**

Buchhöfe Wohnplatz (7461)

Buchhöfe, Horb am Neckar, FDS

Horb am Neckar Wohnplatz (7484)

Horb am Neckar, FDS

Talheim : Horb am Neckar FDS

Talheim Wohnplatz (7516)

Tübingen Wohnplatz (16214)

Tübingen, TÜ

Untertalheim, Horb am Neckar, FDS